



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

4 Lege Evangelica lata, praecepta judicialia, & ceremonialia cessarunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

POST tractatum de voto, quo erga Deum ad pie promissa præstanda religiose tenemur, commode modò ad

decimas, quæ ex jure divino ipsi Deo, ejusque Ecclesiæ eadem ferè ratione debentur, transeundem duxi: quarum quæstiones licèt à pluribus, & quidem copiosissimè tractatæ fuerint, de quibus per Rebuff. in *particulari suo tractatu*, Covar. in *c. 17. lib. 1. var. resolut.* Alexan. Monet. qui de illis etiam tractatum edidit, & ultimo Azor. in *lib. 7. insit. mor. cap. 34 35 36. & 37.* nihilominus super his pauca, & præcibilia attingere decrevi, & ommissis disputationibus, & verborum ponderatione ad illius diffinitionem me confero cum Hostien. qui in *sum. de decim. & primit. ait*, decima est omnium bonorum mobilium licite quæsiturum pars decima, Deo data, constitutione divina debita; & Rebuff. in *d. tract. de decim. g. 4. in princip.* & decima proprie dicitur de decem partibus una, quando dicitur integra. Rot. in *novis. decis. 165. n. 3. par. 2.* quo autem jure debeatur, sæpius quæri solet.

Primo, quòd decimæ debeantur ÷ lege naturali, patet de Abraham, & Jacob. *c. 1. §. his itaque 13. qu. 1. c. decimas Deo, 16. q. 7.* & Covar. *lib. 1. var. resolut. c. 16. nu. 2. vers. quarto juris naturalis.*

Secundò, jubentur dari lege divina *c. decimas à populo, c. revertimini, 16. quæstio. 1. Rebuff. eodem tract. de decim. qu. 1. n. 9.* Monet. *eodem. c. 1. num. 5.* & Rot. *decis. 14. nu. 2. de jud. in nov.*

Tertiò, dari jubentur de jure canonico, *c. 1. cum pluribus sequentibus, 16. quæst. 7. c. commissum, & tot. tit. ext. de decim. & ubique in 6. & Clem. eod. tit.* Monet. *eod. c. 1. numer. 18.* Conc. Trid. *12. de resor. sess. 25.*

Covar. *d. c. 17. num. 2. vers. & præter hos, & Rot. eod. num. 2.*

Sciendum est tamen, præceptorum ÷ veteris testamenti quædam esse judicialia, quædam moralia, & quædam ceremonialia, ut per gloss. in *c. 1. de decim. in 6. & in cap. ult. 6. dist.* Judicialia pertinent ad justitiam hominibus exhibendam, jusque unicuique tribuendum, ex quibus leges veteris testamenti censentur, quarum observatio iudicibus ipsis incumberebat, ut proximo redderetur, quod suum esse constaret, *Instit. de just. & jur. in princ.* paxque & concordia absque ullius injuria tutissime custodiretur.

Moralia ad dictamen legis naturalis spectant, ut quilibet virtutes ipsas exerceat, nihilque agat ab ipso naturali jure alienum.

Ceremonialia verò de his agebant, quæ ad cultum divinum, ad reverentiam, honorem, & obsequium Deo exhibendum statuebantur, & Paul. *ad Rom. c. 7.* scribit, dicens, *itaque lex quidem sancta, & mandatum sanctum, justum, & bonum*, quibus verbis, mandatum sanctum, ad ceremonialia: justum, ad judicialia: & bonum, retulit ad moralia, ut inquit, S. Thom. *par. 2. qu. 99. art. 4.* & Covar. *d. c. 17. n. 1.*

Præceptorum ÷ eorundem judicialia & ceremonialia evangelica lege lata, omnino cessaverunt, vimque præceptorum amiserunt. Quoniam, antequam veniret fides, sub lege custodiebantur conclusi in ea fide, quæ erat revelanda: adeò quòd lex pædagogus noster fuit in Christo, ut ex fide justificaremur, ac ubi venit fides, jam non sumus sub pædago, Paul. *ad Gal. c. 3.* iterum, quid dicit scriptura? ejice ancillam, & filium ejus, non enim erit, hæres filius ancillæ

cillæ cum filio liberæ : itaque fratres non sumus ancillæ filij, sed liberæ, qua libertate Christus nos liberavit, c. 4. ad eosdem & ita scribens testatur manifestissimè, eiciensdam esse legem veterem, quæ, tanquam ancilla fuit legis Evangelicæ, unde alibi, translatio Sacerdotio necesse est, ut legis quoque translatio fiat: idem Paul. ad Hebr. c. 7. & Covar. eod. c. 17. nu. 1.

Moralia autem veteris legis præcepta adhuc vim habent, & perpetuo habebunt, non ex auctoritate veteris legis, sed ex eo, quòd sint à natura ipsa instituta, & à Christo Iesu in lege Evangelica eadem ratione, qua, & naturalia debuerunt, & sunt, præcepta, ut per Sot. lib. 2. de just. & jur. quest. 5. artic. 4. concl. 2. cap. fin. §. his itaque, 6. dist. & Monet. eodem tract. cap. 1. nu. 2. Judicialia præcepta veteris legis servari possunt, & servantur, non tamen, tanquam ex veteri lege, sed quia noviter lege humana sunt constituta, ut eodem titulo, de injur. & c. 1. de homicid. Ceremonialia verò, nec servari, nec lege lata iterum institui potest, ut servantur, S. Thom. par. 2. quest. 104. ad 3. in solutione quest. Idem, 2. quest. 104. art. 3. & Covar. eodem num. 1. vers. hinc non immeritò, nisi in his, quæ licet ceremonialia essent, magis pertinebant ad devotionem quandam, ac ritum sacrificiorum, & eorum ornatum, quàm ad futuræ legis, & Christi que nascituri præfigurationem, quemadmodum sunt vestes sacerdotum, altaria, thurificatio, decimarum & primitiarum solutio, oblationes, & alia similia, quæ etiam per legem Evangelicam à Pontificibus sunt statuta, ut in c. 1. de consecr. dist. 1. c. un. ex. de puris. poss. par. & post S. Tho. Joann. Major, & alios, tenet Covar. eodem vers. hinc in fine.

An autem decimæ jure divino, vel positivo debeantur, maxima est questio, & quòd debeantur jure divino, probat Sanctus Hieronymus, super Malchiam relatus, in c. revertimini, & S. August. in c. decime tributa sunt, 16. quest. c. Parochianos, c. tuas, ill. 1. & c. in aliquibus, & fin. de decim. c. quadragesima, in fin. de consecr. dist. 5. gloss. 2. in c. à nobis, & gloss. penult. in c. nuper, & Hostien. in summ. num. 9. & 11. eodem titulo de decim. Rot. decis. 14. numer. 2. de jud. in nov. & decis. 1. num. 1. de decim. in antiq. & hanc opinionem esse communem, tenet Franc. in c. 1. de decim. relat. per Covar. eodem c. 12. num. 2. ver. & præter has, Rebuffi, in tract. de decim. c. 1. nu. 9. & Monet. eod. c. num. 9.

Contrarium verò, quòd licet jure divino sint institutæ, tamen, aut præceptum decimarum est ceremoniale, ut per Covar. eod. c. 17. nu. 1. vers. hinc nov. aut est judiciale, ut per Monet. eodem c. 1. nu. 13. & tam ceremonialia, quàm judicialia præcepta, nunc vim legis non obtinent, S. Tho. 1. 2. q. 104. art. 3. S. Bonavent. in 4. sentent. dist. 3. art. 3. qu. 2. Tiraq. de retract. lign. in præfat. nu. 8. Covar. d. c. 17. n. 1. cum alijs supra, post princip. allegatis, & Monet. eod. c. 1. nu. 14. Ideo si jure Pontificio fuerint indictæ, jure divino in hærente, & præcepto Pontificio perfolvi debent, ut probatur.

Primo, auctoritate text. in c. ad Apostolicæ, c. ex parte, c. non est, c. extranmissa, c. à nobis, & ferè per tot. ex de decim. c. statuto, eodem titulo in 6. & Clem. 1. eodem Covar. dicto cap. 17. numer. 2. vers. secunda verò, & Monet. dicto cap. 11. numer. 12. & Conciliorum eadem Pontificia auctoritate factorum, ut per Concilium Magubi, admonemus, inquit, atque præcipimus,